

SYLLOGE  
MONUMENTORUM,

AD

ILLUSTRANDAM  
HISTORIAM FENNICAM  
PERTINENTIAM.

CUJUS PARTEM VI,

CONS. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

Reg. Canc. Consil. Eloqv. Prof. R. & O. Eqv. Ord. R. de Stella  
Polari, R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R.  
Societ. Sc. Upsal. &c. Socio,

Publicæ bonorum censuræ submittit

CLAUDIUS MAGNUS MOLIIS,

Satacundensis.

In Aud. Majori die XIX Mart. MDCCCIII.

Horis a. m. consuetis.

---

ABOÆ, typis Frenckellianis,

# THESES RESPONDENTIS.

## *Thes. I.*

Delectationum sensualium magna sine dubio vis est ad homines, qui illis indulgent, ab officii semita abstrahendos; inde tamen male colligitur, aut illas omnes esse fugiendas, aut corpore duriter habendo, quin cruciando, virtutis & pietatis laudem comparari.

## *Thes. II.*

Religionem Græcorum & Romanorum veterum, quamvis ex superstitione ortam, adeo tamen callide ad Reipublicæ commodum accommodare eorum norant legumlatores, ut totam fuisse politicam, facile existimare possis.

## *Thes. III.*

Turpis sane & pestifera in se est opinio, qua omnia consilia factaque hominum ex absoluto Dei decreto pendere statuitur. Sed per sententiarum & actionum suarum, felicem hac ex parte, repugnantiam, honestæ indolis homines, sensus moralis victi voce, illi tamen convenienter opinioni vitam suam instituere non reperimus.

## *Thes. IV.*

Noxius non minus quam turpis est metus eorum, qui examen formidant sententiarum, quas veras esse existimant; a cæco enim sic quasi casu pendere faciunt, utrum veritatis imperio pareant, an turpi errorum iugo premantur.

## *Thes. V.*

Scriptor qui rem aliquam obscure proponit, in subtilitate vel difficultate materiæ a se tractatæ, rarissime obscuritatis suæ idoneam invenit excusationem.

## *Thes. VI.*

Artes quidem & scientiæ fere omnes a vitæ quadam necessitate originem suam ducunt; sed inde tamen negare haud licet, quasdam casu quodam fortuito, sed felici eventu, fuisse inventas.

## *Thes. VII.*

Fanaticismum vulgo tanquam opinionum religiosarum auctoribus & propagatoribus propriam, exagitari a multis videas. Illum vero non solum opinionibus politicis, partium studio adoptatis, sed etiam omnis religionis hostibus, quin illis, qui se præ cæteris appellari & haberi volunt Philosophos, sæpe adhærescere, nostræ ætatis experientia satis docuit.

*vesi*; deinde *Raicotaippal* (b) in *Paskoloto* & in *Orivesi* (c), deinde *Somertaipala*, & per *Fojerffui* in *Ostensalmi* (d) & ad *Priidkajerffui* in *Kamkoski*, *Kidkajerffui*, deinde *Kaskijerffui*, *Rauikoske*, in *Kellon taipala* (e). Deinde metæ terræ adjacentis in aliis locis continentur (f) &c. Unde Mercatores liberum

L trans-

(b) *Purovesi* est notus lacus, quem isthmus *Raukuntaipal* separat a lacu *Orivesi*; inter quos fossa conspicitur, olim facta, per quam aqua utriusque, ubi altius crevit, conjungitur. *Karjaluoto* (al. Ex. habet *Kärraloto*) est insula nobis ignota. Pro *Raicontaipal* unum Ex. habet *Rayka taippala*.

(c) Insula *Paskaluoto* nobis ignota est. Pro *Orivesi* (noto lacu, Careliæ maximo) unum Ex. *Rudihjovesi*, aliud *Dithi. vesi*, sine dubio corrupte.

(d) Aliud Ex. (corrupte) *Somax taippala*; locus nobis est ignotus. *Somersalmi* tamen inter *Orijärvi* & *Fuojärvi* (notum lacum, ad Parœcias *Libelitz* & *Kuopio* pertinentem) occurrit. Pro *Ostensalmi* (*Ohdensalmi* l. *Ohtonsalmi*) unum Ex. habet *Achtonsalmi*, alterum absurdissime *Achtanpalini*.

(e) Aliud Exemplar legit *Priidkajirffui* in *Rauikoske*, deinde *Rusfjerffi* (al. *Kauisjerffui*, l. *Kanisjerffui*) in *Kellantaipala*. Loca ipsa, ubi vera eorum nomina investigata fuerint, in Parœcia hodierna *Kuopio* inveniri, dubio caret.

(f) Fortassis *continuantur*? Aut exscriptoribus exemplarium nostrorum, aut ipsis forte pacis ministris, visum non fuit operæ pretium, recensum hunc metarum per deserta loca in *Laponiam* usque porro continuare? Sed unum E-

transitum sine aliquo impedimento de tota Almania (g), scil. Lübeck, Gothlandia & Svecia (h) habeant per *Nyo* (i) versus Nogardiam, tam in terra quam in aqua. Svevi & castrenses: Wiborgh vel eorum subditi, non debent mercatores viatores (k) Nogardienses, vel eorum subditos violare (l), quin habeant tutam viam ex utraque parte, durante ista pace (m); nec debent aliqua castra ædificari in Russia nec in Carelia, neque per nos neque per vos. Obl-

xemplar habet in aliis literis continentur. Quæ lectio si vera est, de finibus septentrionem versus continuatis peculiariter scripto statutum fuit? Forte ob lites cum Norwegis de limitibus regni utriusque agitatis?

(g) Al. Ex. *Alemania*.

(h) Mire Gothlandia, ac ipsa etiam Svecia, ad Alemanniam referri videntur. Num aliquid hinc excidit? Aut nuntotum monumentum, a Russis (adjuvantibus forte legatis Civitatum Hanseaticarum) confectum, non tam pro instrumento justæ Pacis ab utraque parte pacifcente communiter adornato, quam pro oblatarum a Russis conditionum formula, quam acceptare Svecis consultum visum fuit, est habendum?

(i) Fluvium *Neva*, nostris *Nyen* dictum.

(k) H. e. qui mercaturæ faciendæ causa itinera faciunt. Al. tamen Ex. habet *mercatores viatoresque*.

(l) Al. Ex. *impedire*.

(m) Videtur igitur hæc pax non perpetua fuisse, sed per certos tantum annos, more ejus temporis, duratura?

Obligatores, fidejussores, servi sive malefactores, fugientes ad nos vel ad vos, de jure sunt reddendi. Terram vel (n) aquam non debent Sveci emere de Kareliis Nogardensibus, neque e converso (o). Si autem illi de Narffuia erga Magnum Regem vel illos de Nogardia se non emendaverint, Sveci non debent eos juvare; & si aliqua delicta fiunt in ista pace (p) per nos vel per vos, propter hoc reformationi pacis non debet esse in aliquo derogatum (q), sed super delinquentes correptio fieri debet. Ubi quis deliquit, ibi emendare (r) tenetur de jure. Omnes de Nogardia habeant pacem; & omnia castra eorum & omnes terræ eorum infra prædictis limitibus. Similiter & tota Terra Svecorum & Wiborg. Magnus Rex Nogardiæ receperat pacem, & omnes de Nogardia, cum Rege Svechiæ & toto Regno Svechorum

L 2

rum

(n) Al. Ex. habet &.

(o) Al. Ex. a Kareliis: Nogardenses neque a converso.

(p) Si eam aliqui subditorum violaverint, vel illa durante alterius partis cives læserint,

(q) Al. ex, reformatio pacis non debet esse in aliquo derogata, & super.

(r) Emendare hoc loco, ex usu ejus ætatis, significat poenas dare, maxime pecuniarias, böta, ut Emenda respondet nostro böter.

rum (s) cum Wiburgh, feria secunda post nativitatem beatæ Virginis (t). Qui autem osculum Crucis violaverit, Deus & beata Virgo Maria super eum vindicabunt &c. (u).

Descriptam dedimus ex tribus exemplis vetustis (initio circiter seculi XVII scriptis) inter se collatis. Cfr LAGERBRING l. c. Part. III, C. VI, §. 18, & *Annot. ad Chronicon Juust.* p. 318, Not. 247.

## XXIV.

*Papa Benedictus XII jubet Decimas, ex omnibus quæ terra producit &c., a Tavastis accurate solvi.*

*Benedictus* Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Decano ecclesiæ Upsalensis salutem & Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius  
*Hen-*

(s) Al. Ex. Rege Sveciæ & toto regno Sveciæ.

(t) Die 10 Septembris. Sed al. Ex. habet ante nativitatem b. Virg. h. e. d. 3 Sept.

(u) Facile patet, celebre hoc monumentum nos non habere prorsus integrum, sed ejus quoddam tantum superesse Fragmentum? Unde & annus pacis compositæ, & reliqua formula in fine literarum publicarum adhiberi solita, (nec minus declaratus a Svecorum parte assensus) hic desiderantur,

*Henricas Hartmanni (a)*, Rector parrochialis ecclesiae de Saxamäki (b), petitione monstravit, quod nonnulli parrochiani ipsius ecclesiae, Aboensis Dyocesis, de proventibus terrarum, vinearum (c), ortorum, molendinorum (d), pratorum, possessionum ac aliorum bonorum quae infra limites Parrochiae ipsius ecclesiae obtinent, Decimas eidem ecclesiae debitas, praedicto Rectori solvere indebite contradicunt, quandam pravam consuetudinem, quae corruptela dicenda est potius, praetendentes, videlicet quod de talibus nulli adhuc de-

L 3

timas

(a) Uno loco legitur *Harmanni*, corrupte sine dubio, pro *Hartmanni*, quod aliis locis habetur? Alioquin conijcere liceret, legendum esse *Hermanni*, (aut fortasse apud *Juustenum Chron. Ep. Finl.* p. 16, pro *Hermanni* reponendum *Hartmanni*?) ita ut idem vir fuerit, qui factus postea sit Episcopus Aboensis, ad quam dignitatem sibi viam munierit itinere ad Curiam Papalem (Avenione tum commorantem) facto? Cfr. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 297 sq. & p. 342 Not. 279.

(b) *Sääxmäki*, Paroecia Tavastiae.

(c) Formulæ tritæ adhærens scriptor Epistolæ, exquirere neglexit, utrum *hortos*, multoque minus *vineas*, rustici Tavastenses haberent?

(d) Probabile est, opportunitatem locorum consilium tallium in Cataractis *Apiä & Valkiakoski* (ubi hodie magna habetur Molendinarum copia) extruendarum incolis nuper suggestisse.

*decimas persolverunt* (e). Cum igitur tanto graviora sint crimina, quanto infelicem animam detinent diucius alligatam, ac in signum universalis dominii quasi quodam titulo speciali Dominus (sibi?) decimas referavit; discrecioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, præfatos parrochianos, ut consuetudine hujusmodi non obstante, decimas de prædictis ecclesiæ debitas eidem Rectori persolvant integrè, ut tenentur, monicione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, prima (?) racione compellas. Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia vel odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinione Kal. Julii, Pontificatus nostri anno sexto. (D. 16 Junii 1340).

Legi-

---

(e) Olim videlicet, cum nulla alia arte nisi venatu, piscatu & agricultura (maxime silvis exurendis, cinerique inde nato & leviter subactò semina frumenti committendo, Smedjebrus) exercenda, vel victum quærere vel res acquirere nossent, nonnisi ex illis quæstibus decimas Clero pendere (idque pactione quadam intercedente) consueverant. Ex *novis* igitur fructibus se nullas solvere debere decimas, putabant. Ostendunt hæc, his fere temporibus hujusmodi incrementis auctam demum fuisse oconomiam Tavastensium.



Legitur in *Registro Eccles. Aboënsis* Fol. 1 & 2.  
Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 297 sqq. (f).

## XXVI

*Idem caveri jubet, ne Fratres Prædicatores concessio  
sibi privilegio habendorum Altarium Portati-  
lium, in fraudem parrochialium ecclesiarum  
abutantur.*

**B**enedictus Episcopus, s. f. D. delectis filiis Præpo-  
sito, Decano & Archidiacono ecclesiæ Upsalen-  
sis

(f) Alteram Bullam, ab eodem Pontifice eodem loco anno dieque, in favorem ejusdem *Rectoris* (s. Curati) *Sääxmäkiensis* datam, quam recenset A. CELSE l. c. p. 117 N:o 12, integram apponere, utpote longiorem, non placet. Initium exhibet l. c. A. CELSE. Recensentur nomina plurium rusticorum Parœciæ *Sääxmäki* (& quæ tum ad eam pertinuit hodiernæ ecclesiæ *Pälkäne*), qui decimas Curato suo solvere pertinaciter renuebant, quibusque litem hoc nomine Curatus gravem intenderat. In nominibus pagorum plerisque, licet partim corruptis, hodierna illa agnoscere (*Voipala, Ridvala, Onkkala* &c.) non est difficile. Inter nomina vero hominum propria, comparent, præter hodieque usitata, sanctis vîris debita (*Henricus, Paulus, Olavus* &c.) singularia quædam, apud Fennos nostros jam obsoleta si quidem scriptorum diligentia, in multis manifesto vitio laborantium, confidere licet). Ut autem rei totius vera ratio dispalescat, ul-

fis f. & a. b. Querelam dilecti filii *Henrici Hartmanni*, Rectoris ecclesiæ de *Saxamäki Aboensis dyo-*

---

timam Bullæ partem adjungimus: "quod . . . decimas  
 "de proventibus quarundam terrarum & possessionum &  
 "aliorum bonorum, quæ infra limites parochiæ ejusdem  
 "ecclesiæ de *Saxamäki* optinebant, eidem ecclesiæ debi-  
 "tas præfato Henrico Rectori solvere non curarent, præ-  
 "dictus Henricus Rector eosdem canonicè monuit, & in-  
 "fra certum terminum peremptorium competentem, deci-  
 "mas de prædictis a se prædictæ ecclesiæ de *Saxamäki* de-  
 "bitas eidem Rectori solvere procurarent; & quia prædi-  
 "cti parrochiani hujusmodi decimas eidem Rectori infra  
 "dictum terminum & post solvere contumaciter non cu-  
 "rarunt, nullam causam rationalem proponentes quare  
 "ad hoc minime tenerentur, præfatus Rector eisdem par-  
 "rochianis ingressum ecclesiæ interdixit, & tandem eorum  
 "contumacia excrefcente, a sacramentorum ecclesiastico-  
 "rum suscepcione suspendit eosdem: quas quidem interdi-  
 "cti & suspencionis sententias præfati Parrochiani per  
 "tres septimanas & amplius sustinuisse noscuntur, pœnam  
 "incurrendo prædictam, & subsequenter, dum venerabi-  
 "lis frater noster *Petrus Archiepiscopus Upsalensis Dyoce-*  
 "*sin Aboensem jure metropolitano visitaret, Thomas Johan-*  
 "*nis* Canonicus Upsalensis, auctoritate a prædicto Archi-  
 "episcopo in districtu terræ *Tavastiæ, Aboensis dyoce-*  
 "lis, in hac parte commissa, ad instantiam dicti Rectoris  
 "præfatis parrochianis ad suam præfentiam evocatis,  
 "prout id eidem Archiepiscopo, ad suam prævinciam visi-  
 "tandam de simili consuetudine competit, quia sibi de  
 "præmissis in judicio legitimo constitit, exigente justitia  
 "pronunciavit & declaravit eosdem parrochianos per eun-

dyocesis accepimus, continentem, quod licet Priori generali & Fratribus Ordinis Prædicatorum, per Apostolicæ Sedis privilegium indultum fore dicatur, ut possint habere *altare portatile*, super quo in locis & villis quibuslibet, sine præjudicio tamen parochialium ecclesiarum, missam & alia divina officia celebrare valeant; tamen Prior & Fratres *Domus dicti Ordinis prope civitatem Aboensem*, prætextu indulti hujusmodi, in Parochia dictæ ecclesiæ *Saxamæki* super altare portatili missam & alia divina officia celebrare, & ad missam & divina hujusmodi parochianos dictæ ecclesiæ convocare, & oblationes

M

nes

---

dem Rectorem occasione præmissa rite interdictos & suspensos fuisse, eosque prædictas interdicti & suspensionis sententias per tres septimanas & amplius pertinaciter tolerasse, & propter hoc in pœnam trium marcarum monetæ prædictæ pro singulis septimanis prædictis incidisse, ipsosque parochianos ad solvendum eidem Rectori 3 marcas prædictas, sibi pro tertia, & fabricæ prædictæ sue ecclesiæ pro alia tertia, nec non loci Ordinario pro alia tertia partibus, condemnavit. Quare prædictus Rector nobis humiliter supplicavit, ut hujusmodi processum dicti Thomæ Apostolico faceremus munimine roborari. Quocirca discrecioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus processum ipsum dicti Thomæ, sicut est justus, facias per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Datum Avinione XVI Kal. Julii Pontificatus nostri anno sexto. (D. 16 Junii 1340)."

nes recipere ac in usus suos convertere, propria temeritate præsumunt, in eorundem Rectoris & Ecclesiæ præjudicium & gravamen. Cum autem dictus Rector, sicut asserit, dictorum *Prioris & Fratrum dictæ domus potenciam merito perhorrescens; eos infra civitatem seu dyocesi Aboensem nequeat convenire secure (a)*, Discrecioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellacione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere: non obstante si eidem Ordini a Sede Apostolica sit indultum, quod personæ ejusdem Ordinis ad judicium evocari aut suspendi vel excommunicari, seu ipsi vel dicti Ordinis loca interdici non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem, & qualibet alia

---

(a) Animum strenuum hujus *Henrici* hinc licet cognoscere, qui contra homines tam potentes ac audaces, Aulæ Pontificiæ favore florentes, & tot patronis potentissimis munitos, ausus sit pugnare, & quod mireris, victoriam reportaverit. Quin ipse Avinionem adierit & causam suam præfens ibi egerit, vix dubium videtur.

alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, nostræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quoad hoc ipsis volumus aliquatenus suffragari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur. Datum Avinione V Kal. Junii, Pontificatus nostri anno sexto. (D. 27 Junii 1340).

Habetur ibid. Fol. 50 sq. Cf. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 239 Not. 117, & p. 297 fqq. Not. 217-220.

## XXVI.

*Rex Magnus Erici Canonicos &c. quosdam ex  
permissione Papæ designat.*

In nomine Domini amen. Cum sanctissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Clemens, Divina providencia Papa Sextus, nobis Magno Dei gracia Svechiæ, Norvegiæ & Scaniæ Regi gratiam de benignitate sua fecerit specialem, ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus in Regnis & terris nostris consistentibus, unam personam idoneam semel nominare valeamus pro Canonicatu & Præbenda in qualibet ecclesiarum prædictarum, cum vacaverint, canonice obtinendis, certum super gracia præmissa executorem nobis concedendo, nec

non in sex ecclesiis Cathedralibus quas duxerimus eligendas, singulas personas etiam ad dignitates, personatus & officia cum cura vel sine cura, prout literæ ipsius Domini Papæ bulla plumbea bullatæ, super hoc ut est moris, satis docent, nos dilectos nobis Dominos - - - Nicholaum Asceri pro Canoniatu & Præbenda Ecclesiæ Aboensis - - - (a) vacantibus vel proximo vacaturis, virtute gratiarum hujusmodi nobis factarum canonicè obtinendis tenore præsentium nominamus; hoc salvo, si præmissæ vel præmissi dignitates, personatus, officia, Canoniatu & Præbendæ eisdem dominis & nullis aliis debeantur seu deberi possint de jure; & in casu quo reperitur quod dignitates, personatus, Canoniatu vel Præbendæ præmissi vacantes vel proximo vacaturi, quos per se vel procuratores suos infra unius mensis spacium postquam vacatio hujusmodi ad ipsos seu ad ipsorum procuratores pervenerit, duxerint acceptandos, eisdem dominis non debeantur nec deberi possint de jure, ex tunc dignitates, personatus, officia, Canoniatu & Præbendas proximo postmodum in ipsis ecclesiis vacaturas, quæ ipsis virtute gratiæ præmissæ competere, & possint de jure deberi, acceptan-

---

(a) Reliquis Ecclesiis a Rege oblatos Canonicos (apud Dn. LAGERBRING l. c. reperiundos) omittimus, *Aboensis* modo hic exhibito nomine. An hic hæc dignitate vere auctus fuerit, nos latet.

ceptandi & sibi de præmissis provideri faciendi, sine sui & juris nostri præjudicio, interea integrum & liberum in omnibus remaneat atque salvum. Quod universis & singulis præsentis literas visuris vel audituris volumus esse notum, apponentes sigillum nostrum eisdem in testimonium præmissorum. Datum apud ecclesiam Grønnæ Lyngøensis dyocesis, anno D:ni MCCCXL octavo feria secunda post Dominicam Palmarum. (D. 13 Apr. 1348).

Ex apographo Broocmanni descriptimus, inter monumenta R. Academiae Literarum Humaniorum, Hist. & Antiquitatum asservato. (Fasc. XII N:o 36, p. 1849). Legitur etiam (indidem acceptum) apud Dn. LAGERBRING *Samling af — Handlingar — som — kunna gifva ljus i Svenska Historien* (Lund, 8:o) p. 190, qui ipsum quoque monumentum authenticum inter membranas R. Archivi Antiquitatum (hodie in Bibliotheca R. Stockholmensi) adhuc asservari testatur, Cfr. *Ejusd. Hist. R. Svec. Tom. III, C. 8, §. 4.*

---

XXVII.

*Hemmingus Episc. Aboënsis testatur, se ab Archiepisc. Upsaliensi apographum literarum Papalium recepisse, quibus solutio Decimæ biennalis Clero imponebatur.*

Universis præsentes literas inspecturis *Hemmingus* Divina miseratione Episcopus Aboensis salutem in Domino sempiternam. Recognoscimus per præsentes, nos anno D:ni MCCCLI die b. Gregorii Papæ recepisse literam patentem per venerabilem in Christo Patrem D:num nostrum *Hemmingum* Archiepiscopum Upsalensem nobis missam, in qua continebatur transcriptum literarum Papalium, in quibus imponebatur Clericis solutio decimæ biennalis. In cujus recognitionis evidentiam sigillum nostrum præsentibus est appensum. Scriptum anno ut supra, feria 4 proxima ante Annunciationem b. Mariæ Virginis, (D. 21 Mart. 1351).

Descripsimus ex collectione (Örnholmiana) apographorum literas Cœnobiorum Nådendalensis & Aboënsis sistentium (T. VI, 4:0) p. 193. ibid. servata. Cfr. LAGERBRING Sv. R. H. T. III, C. 8, §. 1, p. 603.

---

XXVIII.

*Rex Magnus Erici Edictum suum de conscribendis & sequestrandis bonis per fraudem tributo Regio subtractis, bona ecclesiastica non spectasse declarat (a)*

Omni.

---

(a) Vere commemorabiles has literas, quæ cum ad consilia & molimina Regis hujus œconomica rite dijudicanda



Omnibus præfens scriptum cernentibus *Magnus Dei* gracia Sveciæ, Norvegiæ & Scaniæ Rex salutem in Domino sempiternam. Tenore præfencium noverint universi, quod licet nos bona omnia olim tributaria (b) & nunc per homines bona sua libera tenentes (c) a Rusticis conquesta diligenter conscribi & fru-

---

& æstimanda, tum ad conditionem temporum illorum cognoscendam, vehementer profunt, (ut & proxime sequentes) omittere hoc loco nolimus, (quamquam in *Annot. nostris ad Chron. Just.* jam allatas), propter nexum quem habent cum supra p. 55 & p. 75 iqq. exhibitis, & aliis infra exhibendis, quibus lucem haud spernendam affundunt, ut ab iis vicissim illustrantur, ita ut totius hujus rei ratio paullo diligentius & plenius exponi posthac possit, quam hucusque licuerit.

(b) Partim publica, ad domanium Regium pertinentia (*Pro-no Hemman, Upsala-bdes Hemman, Rungegårdar &c.*), partim civium propria, sed tributi publici pendendi necessitati subiecta (*Skatte-hemman*).

(c) Per captum a R. Magno I (*Ladulås*) Equestris militiæ perpetuæ instituendæ consilium, *Rusttjensten*; cujus consequens fuit, ut qui equo merere vellent, bona sua a tributi pendendi onere sic liberarent, unde talia bona *libera Trälse hemman, Trälse-gods* appellata sunt, eorumque possessores *Trälsemån*, qui sensim cum veteri Nobilitate (quæ inter Equites militare & honorificentius & rebus suis consultius plerumque duxit) in unum varie magnam partem confluerunt, aliis cum plebe poltea rursus confusis.

*fructus eorum omnium & singulorum per nostras certi tenoris literas poni mandaverimus in sequestro (d), nostræ cum (tum?) intencionis non existit, nec existit, quod conscripcio & arestacio prædictæ ad bona quæ sunt ad ecclesias devoluta quomodolibet se extendant (e), sed ea omnia in eo statu manere graciosè volumus, in quo sunt & fuerant, donec specialiter & expresse aliter de ipsis mandaverimus & duximus ordinandum (f). Datum Ludosæ, sub sigillo nostro, anno D:ni Millefimo CCCL primo, die decima mensis Octobris.*

Legitur in *Registro Ecclesiæ Aboënsis* Fol. 22.

XXIX.

- (d) Has literas desiderari, dolemus. Colligere tamen licet, hanc sequestrationem non duraturam fuisse nisi donec bonorum illorum vera indoles, inquisitione facta pateret: quod quidem examen moram quandam poposcit.
- (e) Simili licentia qua Laici, Clerus quoque ad bona publica furtim minuenda, utebatur. Sed ejus fraudes reprehendere, piaculum videbatur. Adeoque Regi necesse fuit, caute agere, & cunctantius.
- (f) Non putabantur adhuc bona quævis a Clero acquisita, illico ab omnibus oneribus publicis portandis fieri immunita, sed opus fuit, ut literis specialibus hæc illis libertas a Regibus impertiretur. Hinc igitur potestati Rex plane renuntiare noluit.